



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quare Apostolus monet, vt homo probet semetipsum ante communionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**



firmatur, accenditur charitas, roboratur spes, vt in certamine hoc assiduo fortiter resistere & nobis constare possimus: Atque ideò prodest sæpenumerò communicare, vt fides crescat in tentatione &cæt. consistit ergò remissio peccatorum in fide, attamen manducatio reliquias peccatorum in carne purgat & extinguit, sicut salutaris medicina prodest ad tollendos morbos, & ab illis præseruat. Est igitur Sacramentum hoc institutum, vt maneamus in Christo, & ipse in nobis, ne obliuiscamur beneficij sui: atque ob id frequenter populo prædicandum est, quòd Christus per mortem & sanguinem suum nobis meruerit remissionem peccatorum, & nisi hoc quotidie fecerimus atque cogitauerimus, nõ manebimus in Christo, cui insiti sumus semel in Baptismo: ideò & manducamus, vt illi incorporemur, &c.

## CAPVT XI.

## ARGVMENTA.

1. *Quare Apostolus monet, vt homo probet semetipsum ante communionem.*
2. *Quomodo debeat se probare communicaturus.*
3. *Qui sint fructus communionis, & quid sequi debeat communionem.*

**A**postolus 1. Cor. 11. dicit, Probet primùm seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: nam qui indignè manducat, iudicium, id est, damnationē, sibi manducat & bibit, eò quòd non facit differentiam inter corpus Domini & alium cibum. Ne igitur homo seipsum damnet, iubetur ab Apostolo vt sese probet. Liqueat autē ex Apostolo, quàm  
 CC 3                      horribile



horribile iudicium & pœna expectet eos qui indignè sumunt hoc Sacramentum. Videtur itaq; quòd maxima pars publicorum malorum in Ecclesia Dei, inueniatur ex illo peccato, & quòd Deus visibiliter puniat mundum propter pessimum hunc abusum in communione sanctissimi huius Sacramenti, tam ex parte sacerdotum consecrantium indignè, quàm laicorum indignè sumèntium: vndè Apostolus addit ibidem, dicens: Sunt inter vos multi infirmi, id est, infirmitatibus puniti, & dormiunt multi, hoc est, subitò mortui sunt propter indignam communicationem. Ecce causam præsentium plagarum. Vtinam penitentarent hæc sacerdotes quotidie sacrificantes, & vtinam illi quoque qui tantum ob speciem religionis, & ob consuetudinem sæpè communicant, & vtinam ponderarent illi, qui in mortalibus peccatis Auaritiæ, Luxuriæ, adulterij, Râcoris & iræ, Gulæ & ebriositatis &c. communicant, nec seruant fidem emendationis: Est enim res omninò periculosissima animæ & grauissima, indigna cõmunio: nam idèò subiungit Apostolus: Si nosmetipsos dijudicauerimus, &c.

¶

Secundò, talis proba cõsistit primò in hoc, an cognoscas ac reputes te talem & talem peccatorè, multi enim se reputant iustos, quia elemosynam publicè dant sicut Phariseus, & nò putant se tale aliquid commisisse sicut ille, & dicunt, Non sum sicut cæteri homines, Luc. 18. Sed verus probator & examinador cõscientiæ, debet se reputare peiorem alijs, & etiam pro suis peccatis damnatione dignum. Ille enim ex tunc cognoscet, quàm necessarium fuerit, Christum pro se mortuũ esse: & intelliget nimirum, quàm magnum beneficium sibi collatum, quòd filius Dei ipsemet pro peccatis nostris sit mortuus, vt saluemur. Quisquis autem sic sese probat & examinat peccatorem esse, & creditque se morte Christi redemptum, atque in gratiarum